

æquanimitèr tolerantes, literis præsentibus devotioni vestræ mandamus, atque præcipimus, quatenus pro celebratione letaniarum ad aliam Ecclesiam extra Monasterium vestrum de cetero minime accedatis, benedictionem quoque olivarum, & candelarum cum præfatus Episcopus, seu fratres ejus sicut dicitur statutis diebus id in persona propria apud Monasterium vestrum adimpleant, nullatenus deinceps celebretis.

Donatio Pedagogii a Bonifacio Marchione Montisferrati facta Ecclesie S. Egidii de Verezo Augustani Ducatus.

74

MCLXXXIX.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo LXXXVIII. die VII. januarii indict. VII. confessus fuit Bonifacius filius marchionis Montisferrati, quod pater suus fecerat donum Ecclesie S. Egidii de Verezo de Pedagio Castelli Ugucionis. Quod donum ipse Dominus Bonifacius confirmando investituram finem, & datum facere nomine donationis pro anima sua, & suorum prædecessorum in manu D. Aimonis præpositi ejusdem loci de Verezo, ut nullus de ipsa domo de Verezo amodo, & in loco Castelli Ugucionis pedagium tribuat, nec ullus ad colligendum pedagium constitutus ab aliquo de ipsa domo de Verezo transeunte cum suis rebus pedagium exigere audeat. Quia sic ejusdem Bonifacii bona voluntas fieri decrevit, & suo sigillo confirmari præcepit. Actum in Vercellis in casa Conradi de Posterula. Interfuerunt testes Ferrarius de Valenza, & Guilielmus de Grafagna, atque ego Joannes Notarius jussu ejusdem D. Bonifacii hoc breve scripsi Preria.

Extracta ex archivio Canonorum Regularium S. Egidii de Verezo in Ducatu Augustano ab erudito viro De-Levis, qui perhumaniter eam mihi communicavit.

Diploma Henrici VI. Bonifacio Marchioni Montisferrati.

75

MCXC.

In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis. Henricus sextus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper augustus. Fidelium suorum justis petitionibus Imperialis Majestas clementer debet annuere, præsertim vero illorum, quorum fidem, & diligentiam rerum didicit experimentum, & erga imperii honorem sæpius est probata devotio. Tuam itaque fidelitatem, & quondam patris tui reverentiam, & obsequia, quæ imperio semper exhibuit diligenter attendentes, honores, & jura tua volumus tibi cum integritate servare, in quibus & possumus feudum tuum ad imperii honorem augere. Notum itaque volumus omnibus fieri, quod nos tibi Bonifacio dilecto fideli Principi nostri Marchioni Montisferrati, tuisque successoribus in perpetuum loca Gamundii, & Marengi cum omnibus honoribus, & omni jure, & omnibus districtis, & universis regalibus, tam super terris, quam super earum, & nunc, & quondam, & in futurum cultoribus, & habitatoribus,

& quibuslibet detentoribus cum integritate in feudum concedimus, restituimus, & imperiali auctoritate confirmamus, locum etiam Fori, cum omnibus pertinentiis suis, & honoribus cunctis, & districtis, omnia etiam castra, villas, possessiones, honores, jurisdictiones, & jura, & universa regalia, quæ tu tenes, vel possides, aut pater tuus tenuit, vel possedit, & insuper omnia, quæ in privilegiis tuis continentur tibi libere, plenarie, hac imperiali pagina concedimus, & confirmamus. Statuentes, & auctoritate Imperiali prohibentes, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nullus nuntius noster, nullum Commune civitas, nulla persona magna, vel parva huic nostro indulto contradicere, vel aliqua occasione contraire præsumat. Si quis autem temerariè ausu contradicere præsumperit, centum libras auri, dimidium Camerae nostræ, dimidium Marchioni, vel hæredi suo componat, hujus rei testes sunt Milo Mediolanensis Archiepiscopus, Wilhelmus Ravennas Archiepiscopus, Albertus Vercellensis Episcopus, Bonifacius Novariensis Episcopus, Ubertus Comes de Blandrato, Willelmus Comes de Lomello, Robertus de Durno, Henricus de Lutre pincerna, Henricus de Calendino marescalcus, & alii multi signum domini Henrici Sexti Romanorum Imperatoris invictissimi. Acta sunt hæc ab Incarnatione Domini MCLXXX. indict. X. regnante domino Henrico Romano Imperatore gloriosissimo, anno Regni ejus XXIII. imperii vero III. Dat. Mediolani octavo die mensis decembris.

Hoc exemplum extractum fuit a præannotata scriptura carente sigillo, & non habente alias signaturas quam supra annotatas, ac habente caracteres supra descriptos, & pro fide subscripsi, relictaque sunt in albo aliqua, quæ bene intelligi non potuerunt.

Principivallus.

Donatio Nuncii Imperatoris, & Abbatis Monasterii S. Salvatoris pedagogii de Bassareguzio populo Alexandrino pro viæ publicæ conservatione, & defensione.

MCXCI.

76

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo primo Indictionis VIII. die lunæ II. intrantis septembris in nomine Domini nostri Jesu Christi amen. Ad honorem Dei, & B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, ad honorem, & servitium Domini Imperatoris Thomas Castellanus de Nono nuntius Imperatoris Henrici in voluntate & beneplacito ipsius Imperatoris dedit dono nomine Communis Consulibus Cæsareæ, scilicet Oberto Spande Domini Ruffini Garobaldi, Manfredi de Valentia, Oberto Moiscio, Armano Sacco, Anfusso de Trafono, Opizoni Stromeo, Gulielmo Plato Ganducio medietatem medietatis totius pedagogii de Bassareguzio, quam ipse Dominus Imperator tenebat, & possidebat, & hanc chartam donationis tradidit, ut deinceps Commune Cæsareæ teneat, & possideat, & suam de eo modis omnibus faciat voluntatem sine ipsius impedimento, & contradictione, & molestia, & versa vice prædicti Consules, & pro Communi Cæsareæ promiserunt ea custodire,